









1740.

1. Bartinellius, Gell. Christianus: Ord. iuridicis . . . Decanus.  
(ad suppeditationem Iacobi Christopheri Kiel invita)
  2. Bartinellius, Gell. Christianus: Deco, quod iustum et aequum  
ni velut in praeceptione immunitatio ab oneribus  
publicis
  3. Berger, Dr. Gelidius, de: De Herode Magno rege invoca-
  - 4<sup>ta</sup> Brokes, Henricus: De causis antiquarum legum  
Germaniarum usq. 2 fascpl.
  5. Collinus, Christopherus Latorius, Ord. iur. . . Decanus: lector  
di benevoli s. p. d. (ad suppeditationem in my. Iacobi  
Christiani Schumann invita.)
  6. Collinus, Christopherus Latorius: Ord. iur. . . Decan-
- rus: lectori benevoli s. p. d. (ad suppeditationem  
Iacobi Christiani Schumann invita) Friderici Regoli.
- (invita)

15. J. Crollius, Christoph Lassus : De jure vivariorum  
Vn Thes. - Vntra
16. J. Crollius, Christoph Lassus : De his, quae facultat  
relicta sunt.
17. J. Crollius, James Fidlersius, Ord. med. ... Pro. Decanus.  
... panegyric medicam ... celebrandam  
indicit (et reputatio nrae domini Georgii Herr.  
manni iurat.)
18. Geierus, Ernestus Ehrenpud : An potius lappell dicti in  
Hebreo scrupulac s. codice reperiantur ?  
19. Hofmann  
20. Leyser, Augustinus, a : De officio iudicis circa  
tormenta
21. Leyser, Augustinus, a : De salvo conducta
22. Leyser, Augustinus, a : De aequitate tormentorum
23. Leyser, Augustinus, a : De reis absentibus - requi-  
entis

15. Menckes, Thopf. Lectorum : Ord. iure consult . . . decanus ;  
ad Disputationem inaug. Christiani Gotthardi Hoffmanni  
iurist. ,
16. Menckes, Thopf. Lectorum : De bonorum universitatis  
et principali curiarum alienatione
17. Menckes, Thopf. Lectorum : Fundum per omnem felociam,  
1700 jure amitti . . . defendit .
18. Menckes, Leonardus Lectorum : De vasallo Saxonico in his  
territoriis domino in numero militarium alterius  
Dominis Prussiae prohibito
19. Reineccius, Thach. Facetus : Germania successoria testa-  
mentaria quoniam ignara, ex hoc que es minime  
fancat ?
20. Risiinus, Andreae Flores : De finibus iuriis  
naturalis atque ciuitatis
21. Stenkelius, Chort. Gruppi : De concharis et  
prosperis adversaque auctoribus - valentia  
Ruis .

22. Skribelius, Christianus Gottfried : De venenata  
vini alimenti ac medicamenti upsumi virtute.  
23. Viter, Abraham : S. d. med. -- Decamus : lectione  
generali s. p. d. f. omnia ad dissertationem  
in ang. (Danielis Viterii Facub) iunctas.

26  
DE  
EXIGVO  
ANTIQVARVM LEGVM  
GERMANICARVM VSV  
COMMENTATIO

AVCTORE

HENRICO BROKES


IVRIVM DOCTORE, EORVMQUE IN ACADEMIA VITEMBERGENS  
PROFESSORE PUBLICO EXTRAORDINARIO.



VITEMBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

1740.

(3)





V eget Seculum, quo omnia iuris capita ex antiquis Ostrogothorum, Wisigo horum, Burgundionum, Longobardorum, aliorumque veterum Germaniae populorum legibus illustrantur, nihilque fere, nisi, quod hisce antiquis legibus confirmatum legitur, bene eleganterque scriptum iudicatur. Eo fine prouocatur plus uice simplici ad antiquas leges Germanicas; componuntur systemata iurisprudentiae Germanicae antiqueae; colliguntur leges antiquae Germanicae, eaedemque passim in Academis docentur. Neque disfiteor, me ipsum quondam animum ad tradenda antiqui iuris Germanici praecepta, specialibus institutis Praelectionibus, applicare uoluisse. Cum uero ipse, rem ex usu aestimans, ante suscepimus laborem, peculiari meditatione instituta, in utilitatem huius rei paulo accuratius inquirerem, atque animaduerterem, exiguum esse antiquarum legum Germanarum usum; mutauit consilium, illarum notitiam suo cuiusuis studio relicturus. Vtrum bene, an male egerim, ex iis, quae in medium proferentur, apparebit. Evidem non simpliciter improbo institutum, quo hodiernae leges ex antiquo iure Germanico

A 2

illu-

illustrantur; improbo faltem abusum huius instituti, quo leges Germanicas nobis instar legum, in foro obseruandorum, obtrudunt, iisdemque maiorem prae iure ciuili, semel recepto atque approbato, fidem auctoritatemque tribuant. Prodiit superiori seculo IO. GEORGIVS KVLPISIVS, qui sub ficto Conradi Sinceri nomine dissertationem epistolicam de *Germanicarum legum veterum ac Romani iuris in Rep. nostra origine auctoritateque praesenti*, primum Lipsiae 1682. editam, postea ipsius dissertationibus, coniunctim editis, insertam, conscripsit, in qua pro auctoritate antiquarum legum Germanicarum strenue pugnauit. Hunc secutus est CHRISTIANVS THOMASIVS, qui in *Vindiciis Corollarii de exiguo Pandectarum usu p. 210.* nec non in *notis ad Monzambanum c. V. f. 13.* hanc Kulpisi dissertationem omnibus legum cultoribus de meliori nota commendat. Idem HENRICVS KESTNERVS in tractatu de *defectibus iuris communis in Rep. Germanicae prob. 4.* inculcavit. Video, iam olim huic sententiae IOHANNEM CASPARVM HEYDELMANNVM, Virum, laude mea longe superiorem, non immerito contradixisse, quippe qui in sua *Diatrībe Historico-Iuridica de receptione iuris Romanī, eiusdemque ac legum Germaniae veterum, uti & Saxonicī ac Suevici Speculorum in foris usu auctoritateque praesenti*, forensem antiquarum legum Germanicarum usum eruditus negauit. Remanserunt tamen, & ad hunc usque dimicant Kulpisiana sententiae fautores. Liceat mihi, salua cuiusvis, aliter sentientis, auctoritate, mentem meam declarare, & quid ego statuam, hisce lineis aperire.

Per antiquas leges Germanicas intelligo eas, quas antiqui Germaniae populi sibi speciatim constituerunt.  
Con-

\* ) o ( \*

Constat, Germaniam iam antiquitus fuisse multorum populorum sedem. Inhabitabant illam Gothi, Vandali, Burgundiones, Suevi, Longobardi, Franci, Angli, aliaeque gentes. Conf. HERTII *Noritria ueteris Germaniae populorum*. Hae gentes suas peculiares consuetudines, partim cum omnibus Germaniae populis communes, partim uni, alterius genti proprias, habuerunt. Eadem consuetudines in scripturam non erant redactae, cum litterarum secreta Germani ignorarent, atque plus apud eos boni mores ualerent, quam alibi bona leges. TACIT. de Morib. German. c. 19. Migratione uero multarum Germaniae gentium in provincias Romani Imperii facta, paullatim ipsi iura sua Romanis litteris expresserunt. Inde leges Salica, Ripuaria, Burgundionum, Ostrogothorum, Wisigothorum, Longobardorum, Anglorum atque Werinorum, Alamannorum, Baiuvariorum, Frisionum, Saxonum pariter ac Capitularia Regum Francicorum sunt enata. Lex Salica, circa a. 422. lata, SIGEBERT. GEMBLAC. in Chronico ad hunc annum, certam Francorum gentem, inter Carbonariam & Ligerim habitantem, Lex. Sal. tit. 49. obligauit. Tulerunt eandem summi gentis proceres, Wisogastus, Bodogastus, Salogastus, & Windogastus; prooem. Leg. Salic. latam vero Clodouaeus, Childebertus, Chlotarius, Carolus M. & Ladouicus Pius emendarunt. prooem. Leg. Sal. LINDENBROG. Cod. Leg. p. 346. BALVZ. Tom. I. Capitul. p. 17. 387. 606. & Tom. II. p. 1060. Capita huius legis potissimum in puniendis criminibus consistunt, ubi tamen grauissima delicta, ipsum quoque homicidium, poena pecuniaria deleri poterant. tit. 18. c. 1. tit. 21. c. 1. tit. 26. c. 4. & 5. Multae leges sunt nimis speciales, ad singularem quendam casum re-

strictae, tit. 19. c. 3. tit. 22. c. 1. ex quo legum numerus, praeter necessitatem, augetur. Lex Ripuaria obstrinxit Ripuarios, inter Rhenum, Scaldim & Mosam habitantes. Conuenit haec lex in multis cum Lege Salica, sed non in omnibus, cum in crimen laesae maiestatis, tit. 29. c. 1. pariter ac in furtum, tit. 79. seuerior poena statuta, forma processus, introductis probationibus vulgaribus, tit. 30. c. 1. immutata, ac alia aliter fuerint determinata. Lex Burgundionum ad Burgundiones, in Alpibus Graii, Vienensis prima, Lugdunensi prima & quinta, prouincia potissimum sedem habentes, Conf. HER T II Not. uer. German. popul. P. III. c. 6. §. 5. pertinebat. Lata eadem est communibus procerum suffragiis a rege ipsorum Gundobado, praef. leg. Burgund. a quo etiam haec lex Gundobada fuit appellata. Remansit huius legis auctoritas deuictis Burgundionibus, cum in Capitularibus Regum Francicorum ad eandem prouocetur; Capit. CAROLI M. a. 813, licet Agobardus ad Ludouicum Imperatorem in odium huius legis scripsit. Ipsa lex amorem erga peregrinos, tit. 38. c. 1. odium erga fures, tit. 4. ac uxores, commissa maritorum delicta haud reuelantes, tit. 47. c. 1. nec non testamentorum usum, tit. 43. c. 1. indicat. Lex Ostrogothorum, qui primum in Pannonia habitarunt, HER T. I. c. P. III. c. 8. §. 2. Theodorico debetur, quippe qui satis prolixum Edictum proposuit, in quo tamen nulla fere morum Germanicorum, bene uero legum Romanarum deprehenduntur uestigia. Maiora prisci iuris Germanici uestigia reperiuntur in legibus Wisigothorum, quae ab Eurico, Gothorum rege, conscriptae, a successoribus uero Leouigildo ac Recesuintho auctae sunt atque emendatae. ISIDOR. in Chron. Goth. ad a. 504. §.  
608.

608. Leges ecclesiasticae magnum in iis absoluunt spatium. Longobardorum lex ad gentem huius nominis Germanicam spectabat, quae Seculo post Christum natum VI. e patria, quam alii Marchiam Brandenburgensem, conf. HERT. *Notit. uet. Germ. popul.* alii terras Luneburgicas & Brunsvicenses constituant, exibat, atque, duce Alboino, Italiam ingrediebatur. Ibi haec gens, regnum Gothicō - Italicū destruens, Gothicas terras occupabat, ac regnum Longobardicum stabilire incipiebat. Firmato regno, Longobardi suas leges peculiares observabant. Has Rotharis, additis suis ipsius legibus, sub nomine Edicti in unum corpus collegit. PAVL. DIACONVS de gestis Longobard. IV. 44. HERMANN. CONTRACTVS ad a. 637. GAVDENT. MERVLA libr. 1. Antiqu. Vice- Com. Mediolan. circa fin. CAROL. SIGON. de regno Italiae libr. II. p. 39. ad a. 643. Huic edicto Grimoaldus, PAVL. DIACON. l. c. V. 33. CAROL. SIGON. l. c. libr. II. p. 46. ad a. 668. Luitprandus, PAVL. DIACON. VI. 58. SIGON. libr. III. p. 58. ad a. 713. Ratchisus, CAROL. SIGON. libr. III. p. 72. ad a. 745. & Aistulphus, CAROL. SIGON. libr. III. p. 77. ad a. 754. imo Francici ac Germanici Imperatores uarias leges adiecerunt, cum, extincto licet regno Longobardico, harum legum auctoritas in terris Italicis remanserit. CAROL. SIGON. libr. VIII. p. 188. ad a. 1007. Omnes istae leges tribus libris, in certos titulos distributis, exhibentur. Optimam harum legum collectionem LVD. ANT. MVRATORIO debemus, qui leges Longobardicas inter *Scriptor. rev. Ital.* Tom. I. P. II. ex duabus Codicibus Mutinensis edidit. Ipsae leges uaria iuris capita, sine ullo tamen ordine, stunt,

stunt, ac inter haec polygamiam & concubinatum dominant, *libr. II. tit. 13. l. 7.* modum probandi per duelum retinent, *libr. I. tit. 9. l. 23.* ac passim iniqua propounderunt, *libr. II. tit. 18. l. 1. libr. I. tit. 3. l. 1.* Ab hac Longobardorum lege differunt consuetudines feudales Longobardicae, quae, Corpori iuris Civilis adiectae, una cum Romano iure in foris Germaniae usum auctoritatemque legalem acceperunt. Lex Anglorum atque Werinorum erat illius gentis Germanicae, quae partim in Sleswicensi Ducatu habitauit, atque deinceps in Britanniam sese contulit, partim in tractu Megapolitano prope Varnam fluuium, qui Rostochium alluit, atque mari Baltico infunditur, consedit. Conf. HERT. I. c. P. II. c. 2. §. 3. & 39. Eadem lex ante expeditionem Britannicam est conscripta, cum in eadem Angli & Werini, ceu vicini, coniungantur. Breuissima lex est, septendecim titulos continens, ac in primis succedendi modum, apud quosdam Germaniae populos usitatum, illustrans, distinctionemque bonorum in expeditoria & utensilia tradens. Anglis uero deinceps una cum Saxonibus nouam sibi sedem in Britannia quaerentibus, hi peculiares suas leges, Anglo-Saxonicas dictas, ibidem introduxerunt, quae moribus Germanorum fundantur. Hinc factum est, ut priisci Anglorum mores in multis cum Germanicis conuerint. Lex Alamannorum illam gentem Germanicam respiciebat, quae ad Moenum, Rhenum, & Danubium primum consedit, mox uero etiam partem Heluetiae occupauit. HERT. I. c. P. III. c. 1. §. 3. WERLHOF. Notit. Imper. Spec. I. c. 2. §. 55 56. Prima huius legis fundamenta eccl Theodoricus, Rex Francorum, quibus deinceps uariae Childeberti, Chlotarii & Dagoberti emanationes

dationes acceſſerunt. Ipsiſ lex partim cauſas ecclesiasticas, quas inter praeceptum de ſanctitate ſabbathi tit. 38. inculcatur, partim cauſas ciuiles, partim cauſas iuris publici per traſcat, eaque paſſim caſibus nimis ſpecialibus proponuntur. Lex Baiuuariorum concernebat illam gentem Germanicam, quae primum in Boiohemia, deinceps ultra Danubium ſedem habebat. Conf. HERT. l. c. P. III. c. 2. §. 2. Haec gens poſt uictoriam Francorum Tolbiacensem horum imperio ſponde fe ſubiecit, ita ramen, ut Duces illius, ex gente Agilolfingica orti, maiori potestate gaudeſerent, imo ius ſubditis ſuis leges ferendi haberent. ADELBOLDVS in uit. Henrici II. apud LEIBNITIVM Tom. I. p. 423. Hinc factum, ut lex Baiuuariorum a regibus Francicis lata atque emendata, illi uero Decretum Taffilonis ſubiunetum fuerit. Ipsiſ lex de cauſis tam ecclesiasticis, quam ciuilibus agit, iudicemque in iudicando ad ius ſcriptum relegat, tit. 2. c. 15. l. 1. paſſim tamen loca Scripturae Sacrae incommode applicat. tit. 14. c. 8. l. 2. tit. 8. c. 17. l. 2. Lex Friforum, de quaorū finibus uid. HERT. l. c. P. III. c. 5. §. 3. obligabat gentem Frifcam, cuius nomen clarum inter Germanos fuit. TACIT. Annal. IV. 74. Latam legem Carolus M. auxit. VBBO EMMIVS rer. Frifc. libr. V. p. 71. ad a. 810. Acceſſit ad hanc legem Sapientum additio, quaorū unus Vulemarus, alter Saxmundus appellatur. Ipsiſ lex uestigia paganifmi prodiit, tit. 5. §. 1. addit. Saxundi tit. II. §. 1. tit. XII. §. 1. ac potiſſimum uaria delictorum genera exponit. Saxones, nobilifimus Germaniae populus, conf. HERT. l. c. P. III. c. 3. iam ante Caroli M. tempora ſuis utebantur legibus, quas Carolus M. iſpis reliquit, prouti appetat ex Poeta Anonymo, qui de pace,

B

inter

inter Carolum & Saxones facta, ad a. 803. sic canit:

*Tum sub iudicibus, quos Rex imponeret ipsis,  
Legatisque suis, permisit legibus uti  
Saxones patriis & libertatis honore.*

Sub huius Caroli M. imperio censetur nata lex Saxonum, SPELMANN. in gloss. sub uoce: *Lex Saxonum*, CONRÍNG. de orig. iur. German. e. 13. quam WIPPO in uita Conradi p. 430. appellat crudelissimam, forte ideo, quia in hac lege plus uice simplici poena capitalis, in aliis legibus Germanicis rariissima, statuitur. Conf. tit. IV. leg. *Saxon. de furto*. Ipsa lex est breuissima, atque in multis conuenit cum aliis legibus Germanicis, in quibusdam uero ab iisdem recedit. In primis haec lex Werigeldi, tit. 2. de occision. tutelae muliebris, tit. 7. pariter ac poenae capitalis, in furtum statutae, tit. 4. mentionem facit. Adiecit Carolus M. a. 798. praeceptum de institutione Episcopatum per Saxoniam. Conf. BALVZ. Tom. I. p. 245. Idem Carolus dedit Capitulationem de partibus Saxoniae, qua paganisnum e Saxonia penitus extirpare intendebat. BALVZ. Tom. I. p. 250. Inde haec capitulatio meras continet leges ecclesiasticas. Neque incognitum est ipius *Capitulare Saxonum*, a. 797. in Comitiis Aquisgranensibus datum. Recensisit legibus addo Capitularia. Regum Francorum, a capitulis, in quae distincta erant, sic appellata, quae in praefentia Episcoporum, Abbatum, Ducum atque Comitum constituta, subscriptione procerum atque consensu populi confirmabantur. Eadem partim de rebus ecclesiasticis, partim de rebus secularibus agunt. Collectionem illorum adornauit ANSEGIVS, Abbas, eandemque in quatuor libros disposuit, quibus tres appendi-

pendices addidit. SIGEB. GEMBLAC. ad a. 827.  
ODORANN. in Cbron. ada. 882. praef. collect. Nouam  
Capitularium collectionem, tribus libris absolutam, post-  
ea circa a. 845. BENEDICTVS LEVITA, Mo-  
guntinus, iussu OTGARII, Archiepiscopi Moguntini,  
procurauit. *praef. collect.*

Has & alias antiquarum Germaniae gentium leges  
exiguum hodie usum habere, dico. Largior quidem, an-  
tiquas leges Germanicas illustrationi hodierni iuris Ger-  
manici inseruire, praesertim, cum unum alterumue iuris  
hodierni Germanici caput ab antiquis Germanorum in-  
stitutis dependeat. Sic cura mulierum, praefatio We-  
rigeldi, bonorum in expeditoria & utensilia distinctio, a-  
liaque ex iure antiquo Germanico optime illuſtrantur.  
Largior quoque, antiquas Germanorum leges circa re-  
cepti iuris ciuilis capita illustrationis gratia in medium  
proferri posse. Inde non simpliciter improbo studium  
antiquarum legum Germanicarum, quin potius illud ita  
commendare soleo, ut quis sibi easdem leges, si ipsi e re  
sua esse videatur, priuata industria cognitas reddat atque  
perspectas. Eadem ratione ductus, non improbo insti-  
tuta illorum, qui colligendis istis legibus antiquis operam  
nauarunt. Inde BASILIVS IOHANNES HE-  
ROLDVS, pariter ac FRIDERICVS LINDEN-  
BROGIVS suis antiquarum legum Germanicarum col-  
lectionibus, post ZASII & SICHARDI collectionem  
institutis, immortalem nominis famam sibi acquisiuerunt.  
Nouissime Corpus Iuris Germanici antiqui PETRVS  
GEORGISCH, consilio Illustris HEINECCII, Ha-  
lae typis imprimendum curauit, cuius operis recensionem  
iu. *Nou. Act. ICter. P. IV. sub. n. I.* reperimus. Singula-

B 2

rem

rem quoque laudem merentur, qui unam alteramuae legem Germanicam speciatim ediderunt, ac partim commentariis doctissimis illustrarunt. Inde opera HEROLDI, WENDELINI, TILII, PITHOEI, LINDENBROGII, BALVZII, ECCARDI, legem Salicam edentium, CAROLI GUILIELMI GAERTNERI, leges Saxonum atque Frisionum euulgantis, STEPHANI BALVZII, Capitularia Regum Francorum eruditio orbi exhibentis, aliorumque cura neutiquam est contempnenda. Neque reprehendo illorum conatus, qui singula antiquarum legum Germanicarum capita in ordinem redigunt, eademque ipsis legibus subiectis confirmant, qua in re IO. FRIDERICVS POLAC, Systema iurisprudentiae civilis Germanicae antiquae conscribens, egregiam praestitit operam. Denique ex eodem fonte non reicio illorum labores, qui genuinum obscurorum uerborum, in antiquis legibus Germanicis occurrentium, sensum indagare studuerunt. Pertinent huc WACHTERI, WENDELINI, SELDENI, SPELMANNI, DV FRESNE, aliorumque glossaria. Egregium quoque hac in re usum praestitit IO. GUILIELMVS HOFFMANNVS, cum insigni Academiae huius pariter ac totius litterati orbis detimento ante aliquod temporis spatium defunctus, qui in suis Iuris Germanici Observationibus multa loca obscura solide ac erudite explicit.

Absit tamen & procul absit, ut longius progrediamur; atque nimio erga leges antiquas Germanicas amore dueti, iisdem, neglecto iure ciuili, legalem auctoritatem, usumque forensem attribuamus. Nullus fere istarum legum hodie remanet usus, solo illustrationis commodo

modo excepto, quod cum, respectu ad usum legalem  
habito, sit exiguum, non dubito asserere, exiguum esse  
huius antiqui iuris usum. Siue enim antiquas Germano-  
rum consuetudines, tam communes, quam uni, alterius  
genti proprias, intueamur; siue speciales gentium Ger-  
manicarum leges consideremus, fateri cogimur, easdem  
iam dudum in desuetudinem abiisse. Intuitu consuetu-  
dinum prouoco ad experientiam, quae testabatur, pleros-  
que antiquarum gentium Germanicarum mores hodie  
ab usu recessisse. Num hodie longa est Germanorum  
pueritia, longa in pubertas, ac olim? Num hodie mari-  
tus uxori dotem offert, ac olim? Num homicidia hodie  
poena pecuniaria coercentur, ac olim? Videbis, ea omnia,  
& longe plura hodie esse immutata. Secus tamen est,  
si una, alteraue consuetudo, per longum tempus ad nos  
transmissa, constanter in foris, uel omnibus, uel in his  
atque illis iudiciis usum habuerit. Priori casu consuetu-  
do illa uniuersalis instar legis ualeat, etiam si eadem nulla  
scripta lege fuerit confirmata. Sic tuto sequimur con-  
suetudinem, qua ex nudo pacto oritur obligatio & actio,  
uel illam, qua liberi per separatam oeconomiam liberan-  
tur a patria potestate. Posteriori casu retinemus illam  
consuetudinem particularem, si illius usus, in hoc, uel il-  
lo receptus loco, plene fuerit probatus. Sic ius Hagen-  
stoltziatus, ius manus mortuae, ius solidorum, ius obsta-  
gii sequimur, non tamen aliter, quam, si horum iurium  
in hoc, uel illo loco facta receptio speciatim doceatur.  
Intuitu antiquarum legum scriptarum prouoco ad histo-  
riam, quae clare demonstrabit, hasce leges, si non ex-  
presso Germanorum consensu, attamen tacito, iam du-  
dum exoleuisse. Sc. post Carolina tempora usque ad

Sec. XIII. iudicia Germanica non ex iure scripto, sed ex moribus ac potissimum ex bono & aequo habebantur. Viguit quidem post Carolina quoque tempora per aliquod tempus antiquum ius Germanicum. Sic OTTO M. in *Charta a. 952. apud STANGEFOLIVM libr. 2. Annal. Westph. p. 185.* & OTTO III. in *Carta A. 997. apud eundem c. l. p. 203.* ad legem Saxonicam prouocant. Non tamen diu viguit hocce ius, cum illud secutis temporibus paulatim manibus hominum exciderit. Nulla illius iuris, aut perquam tenuis in historiis est memoria. Paucae his temporibus ferebantur leges, cum partim ob infinita Imperatorum cum Pontificibus Romanis dissidia, partim ob internos Procerum Imperii motus de legibus priuatorum non adeo sollicite cogitari potuerit, &, si quid forsitan legum sanctitatem fuerit, illud ad firmandam potius pacem, vel alia negotia publica componenda pertineret. Praesidebant iudiciis homines illiterati, morum atque consuetudinum patriae saltē gñari, atque aequitatem, ex antiquis praeiudiciis, vel antecessorum sententiis, vel proprio arbitrio aestimantes, antiquarum vero legum Germanicarum scientia, ob ignorantiam Latinae linguae, destituti. Hinc factum, ut memoria antiquarum legum Germanicarum in ipsa etiam Germania sensim sensimque fuerit deleta. Ne Capitularia quidem Regum Francorum in Germania usum auctoritatemque retinuerunt. Conf. CONRING. de Orig. Iur. Germ. c. 25. Conqueritur hac de re STEPHANVS. BALVIVS, atque in *pref. ad Capit.* fata Germaniae ab neglectum horum capitularium deplorat his verbis : *Quis & Germani ipsi, iametsi a Francis dissociati, nomen Francorum legesque eorum summa religione seruareunt per multum aeni, donec ad Ottones uenientem est. Tum enim quæs*

quasi praecepit antibus rem Germanicam satis, nomen Fran-  
corum, quod patrum eorum memoria gloriosum, & illustre a-  
pud illos erat, abiecerunt, capitularium reverentiam exuerunt,  
tam manifesta diuini Numinis ira, ut deinceps res eorum  
pautarim dilaberentur, non sine magno religionis nostrae de-  
trimento, adeo, ut publica regni illius calamitas, praeter  
ceteras causas, etiam ex neglegētu disciplinae, in capitulari-  
bus prescriptae, profecta iure uideri posset. Nescio tamen,  
an salus Reip. Germanicae ob neglectam capitularium ob-  
seruationem fuerit periclitata. Evidet successu tem-  
poris conseruandarum legum patriarcharum cura habeba-  
tur, cum sub Ottone I V. a. 1208. in comitis Francofur-  
tanis sanctum fuerit, ut omnia iura, a Carolo M. institu-  
ta, obseruantur, tenerenturque. GOTHOFRED.  
MONACH. in Cbron. ad a. 1208. Simili ratione, teste eo-  
dem GOTHOFREDO, a. 1225. in Comitiis Mogun-  
tinis uetera iura fuerunt stabilita. Idem illud Rudolphus  
Habsburgicus in Comitiis Herbipolitanis de a. 1287. pari-  
ter ac Spirensibus de a. 1291. intendit. Conf. LEHM.  
Cbron. Spirens. V. 108. At enim uero per ista iura confir-  
mata non antiquas leges scriptas, uel etiam ipsa Capitula-  
ria Regum Francicorum, sed potius antiquos Germano-  
rum mores ac consuetudines intelligimus, cum Germani  
illo tempore in usu habuerint, ut mores suos Carolo M.  
adscriberent, prout ex iure prouinciali Saxonico ac  
Weichbildico perspicue appetet. Conf. CONRING.  
de orig. Iur. German. c. 13. G R Y P H I A N D. de  
VViechb. c. 14. Imo, licet per ista iura confirmata an-  
tiquas leges scriptas intelligeremus, dicendum tamen, eas-  
dem in usum non esse renocatas, & sic contrario usu  
contrarium obtinuisse. Introducto deinceps in Germa-  
niam

niam Romano iure, Germani antiquarum legum Germanicarum magis magisque obliti fuerunt, cum nemo amplius de Germanorum moribus cogitaret, sed quilibet, propriorum iurium ignarus, peregrina iura addisceret, eademque in foro applicare studeret. Inde factum, ut Maximilianus I, pariter ac sequentes Imperatores non antiquas Germanorum leges scriptas, sed mores potius atque consuetudines receptas, die alten hergebrachten Gewohnheiten und Gebräuche, confirmauerint.

Rebus ita sese habentibus, non video, cur multi hodie de reuocandis istis iuribus antiquis, iisdemque instar legum allegandis, tam anxie sint solliciti. Desierunt iam dudum istae leges. Idem illud est, quod dissentientes negant. Dicunt, easdem nullibi esse abrogatas, & sic nullam subesse rationem, cur iisdem stare prohibeamur. KVLPI SIVS in cit. differt. p. 29. haec profert: quaeunque leges olim promulgatae ac uim suam habere iussae sunt, eae adhuc ualent, donec doceantur abrogatae; si autem abrogariq non aliter, quam contraria lege, aut consuetudine, ait nulla sanctio abrogatoria bacenus potuit afferri, & consuetudines hodiernas plerasque ex ipsis legibus descendere obseruauimus, ut uel binc eo maior fiat earum auctoritas, quam insecura consuetudo, optima legum interpres, conseruat. Illud quidem lubenter fateor, aliquas ex legibus priscais, cestanzibus procul dubio earum rationibus, fuisse immutatas, sicut exempla refert Conringius, sed eo ipso reliquarum ualiditati cauetur, quoniam, ut nostri dicunt, exceptio firmat regulam, & quod sublatum non est, cur stare prohibeatur. Eandem sententiam tuetur FRIDERICVS LINDENBROGIVS, qui in Prolegomenis, Codici suo antiquarum legum praemissis, ait: *Viderint Romani iuris antecessores, dum*

dum sola Principum connuentia Germanicarum legum, vite  
confirmatarum, usus aliquantum cessat, an earum auctoritas  
adeo sit immutata, ut plane nulla amplius paretur, cum lex  
non dicatur sublata per non usum, sed per contrarium ei le-  
gi usum, iuxta Baldum & Dd. in l. de quibus ff. de LL.  
Quemadmodum ergo legis receptae uirtus frangitur, in de-  
suetudinem si forte per contrarium usum abit: sic etiam, cu-  
ius contrarius usus non ostenditur, ea utique perpetim mane-  
re putatur, & quandocunque casus evenerit, recte ea quis  
uri posse, etiam post mille annos, ut notat Domin. in c. ut  
animarum s. statuto de const. lib. 6. Id circa uerissime con-  
cludo, leges basce, quatenus id ratio suadeat, & tempora  
permittunt, non tantum apud Germanos in foro utiliter pro-  
ferri, sed iuri quoque Romano pro statu provinciarum recte  
praeferri posse. Fatoe, expressam legem deesse, qua antiquis  
Germanorum legibus uis auctoritasque legalis de-  
negatur. Moneo saltem, adesse usum contrarium, quo  
per tot secula in foris Germaniae aliter, ac in antiquis le-  
gibus Germanicis est constitutum, primum ex bono &  
aequo potissimum, deinceps uero ex recentioribus Ger-  
manorum legibus, pariter ac ex iure ciuili est pronuncia-  
tum. Iam, cum leges non quidem solo non usu, bene  
tamen usu contrario abrogentur, l. 32. s. 1. ff. de LL. non  
possum non concludere, antiquas leges Germanicas ta-  
cere per usum contrarium fuisse abrogatas. Aliud sen-  
tentiae contrariae praesidium est, si dicant, leges Roma-  
nas in subsidium saltem esse receptas, adeoque antiquas  
leges Germanicas primum pree iure ciuili habere locum.  
Scio, ius Romanum esse ius subsidiarium, quod tum de-  
num in foro usum quendam praestat, si patriciae leges de-  
ficiant.

ficiant. Inde patriae leges ante omnia sunt atten-  
dae. Sed quales patriae leges? Illae, quae uel per lon-  
gum tempus ad nos transmissae, constanter in foris valu-  
erunt, uel recentiori aetate sive per totum Imperium, si-  
ue in una, alteraque prouincia speciatim sunt constitutae.  
Inde leges Imperii uniuersales, iura prouincialia, leges  
ciuitatum Imperialium pariter ac statuta municipalia ma-  
iores pra iure ciuili habent uim, maiorem auctorita-  
tem. Illae uero leges patriae, quae per contrarium usum  
iam dudum sunt antiquatae, quales sunt antiquae leges  
Germanicae, talem uim non habent, ut eaedem iuri ciui-  
li sint preferendae.

Neque ulla ratio subest, quae ad reuocandas anti-  
quas leges Germanicas incitare posset. Eaedem fuerunt  
particulares, diuersis populis Germanicis praescriptae,  
atque sic ne olim quidem uniuersam obligarunt Germaniam.  
Quodnam ergo subest fundamentum, quo anti-  
quas leges Germanicas hodie toti obtrudere contendi-  
mus Imperio? Multo minus feliciter progredieris, si ex-  
empli causa ex iure Wisigothico, uel Burgundionum pro-  
bare uelis, quale ius patrium in hoc traectu Germaniae  
olim obtinuerit, ac si uero leges particulares unius, alte-  
riusue loci praecise usum, in alio loco receptum, demon-  
strarent. Quid? quod leges istae, cum particulares at-  
que diuersarum gentium fuerint, diuersas quoque, imo  
partim sibi inuicem contrarias intuluant consuetudines.  
Quid ergo in ista morum diuersitate, imo in ista contra-  
rietate agendum? quaenam consuetudo praeualebit? Ne-  
reor, ne maxima inde iuris incertitudo oriatur. Taceo,

anti-

antiquas leges Germanicas in multis capitibus ad hodiernum Germaniae statum applicari non posse, cum Germania hodie longe aliam, & ab illius veteri conditione plane diuersam induerit faciem. Agunt leges antiquae Germanicae de causis ecclesiasticis; sed haec ad minimum in terris Protestantium, ea, quae in istis legibus occurunt, dogmata haud agnoscentium, usu destituuntur. Agunt de ordine iudicario, variis inutilibus solennitatibus replete; Conf. III. ac Generosissimi Domini a LEYSER, Viri, de hac Academia, pariter ac de uniuerso orbe literato immortaliter meriti, *Medit. ad Pandect. Spec. V. m.* 4. sed hic hodie plane est immutatus, aliquique litigandi modum, reiecta vulgari probatione, aliisque superfluis solennitatibus, libr. II. LL. Sicular. tit. 17. requirit. Agunt de causis criminalibus; uerum & hic leges istae antiquae propter singularem poenarum lenitatem, quae, crescente hominum malitia, exasperari debent, ad hodiernum Reip. Germanicae statum applicari nequeunt. Imo, licet forsitan unum, alterumue caput supereisset, quod hodie adhuc usum habere posset, idem illud tamen hodie per recentiora iura fere aliter est determinatum, adeo, ut ad antiquas leges Germanicas recurrere non sit opus. Sunt iura Imperii uniuersalia, sunt iura prouincialia, quibus pleraque, in antiquis legibus Germanicis occurrentia, suam determinationem acceperunt. Causae criminales in constitutione Carolina pariter ac in constitutionibus prouincialibus sunt ordinatae; ordo iudicarius ex nouissimis processus Ordinationibus addiscitur; in causis matrimonialibus ac ecclesiasticis recurrunt ad ius diuum pariter ac ordinationes ecclesiasticas; conditio ma-

gistratum, mutato Rerump. statu, ex antiquis statutis  
haud cognoscitur. Sic pauca remanebunt, quae hodie  
aliquam in foro utilitatem praestare possent. Ne dicam,  
uarios in antiquis legibus Germanicis occurtere naeos,  
qui impediunt, quo minus easdem in foro liceat com-  
mendare. Adebat maxima obscuritas; adebat summa con-  
trarietas; adebat nimia in puniendis criminibus lenitas; ad-  
ebat non minima supersticio; adebat summa imperfectio,  
qua de causis criminalibus nimis late, de causis vero ci-  
uilibus parum, uel nihil agitur; adsunt alia uitia. Inpri-  
mis adebat summa iuris incertitudo, quae ex tam diuersa-  
rum gentium legibus atque institutis non potest non or-  
iri. Videant ergo illi, quomodo consulant Reipublicae,  
qui ius Romanum certum ex scholis pariter ac ex foris  
eliminare, ac loco illius ius incertum, vagum, atque sibi  
inuicem contrarium introducere student.

Quae cum ita sint, iudico, fundatam intentionem  
haud habere, qui ad antiquas leges Germanicas prouo-  
cat, & ex iisdem ius suum demonstrare intendit. Iam  
dudum eaedem uim auctoritatemque legalem amiserunt,  
& sic eaedem instar legum non aliter allegari possunt,  
quam probato unius, alteriusue legis usu hodierno, nisi  
antiqua consuetudo sit notoria, quae nulla indiget pro-  
batione. Fundatam potius intentionem habet, qui ius  
ciuale, per universam Germaniam receptum, allegat, quippe  
quod talem auctoritatem habet, ut ad illud prouocans  
receptionem illius probare non sit obstrictus. Porro  
ex dictis concludo, ius ciuale, uti iam supra dixi, non  
quidem antiquis Germanorum consuetudinibus, per lon-  
gum

gum tempus ad nos transmissis, neque recentioribus iuribus patriis, bene tamè antiquis Germanorum legibus, iam dudum abrogatis, esse praferendum. Quid uero, si ius Romanum antiquo iuri Germanico repugnet? an forsà hoc casu presumtio militat pro antiquis legibus Germanicis, ira, ut eadem maiorem prae iure ciuili habent auctoritatem? Neutquam. Leges istae iam dum sunt abolitae, & sic illarum nulla in foro haberi potest ratio, sive ius ciuile iisdem sit contrarium, sive non. Denique afferro, nimium antiquarum legum Germanicarum studium esse inutile, esse inane. Illustrant, fateor, hodiernum ius. Inde aliquam earundem notitiam habere iuuat. Sed omne tempus in illis explicandis consumere, iisdemque, neglecto iure ciuili, inhaerere, uix ac ne tix quidem erit operae pretium. Hanc ob causam illarum legum studium sive cuiusvis meditationi relinquo, neque opus esse puto, ut longa illarum in Praelectionibus Academicis fiat mentio. Dicit forsà quispiam, hac ratione antiquitates quoque Romanas, ius ciuile illustrantes, in scholis tuto negligi posse. Respondeo, antiquitates Romanas maiorem cum iure ciuili connexionem habere, cum absque illarum notitia multa Romani iuris capitâ rite explicari atque intelligi nequeant. Inde harum studium est maxime necessarium. At enim uero talis nexus inter antiquas leges Germanicas & recentiores haud intercedit, & sic nec tale studium desideratur.

Ipse, qui iam per aliquod temporis spatium erudiendae iuuentuti Academicæ operam dedi, hac incessi uia,

C 3

qua

qua ius Romanum quidem exposui, sed ita, ut ante omnia, non quidem antiquarum legum Germanicarum, usu carentium, bene tamen antiquarum consuetudinum, per longaeum usum ad nos transmissarum, pariter ac recentiorum iurium Germanicorum maximam rationem habuerim. Fiet idem illud, si DEVS, summus rerum Moderator & Arbitr, uitam atque vires concesserit, per futurum quoque tempus, posteaquam singulare diuini NVMINIS prouidentia factum est, ut SERENISSIMVS ATQVE POTENTISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS  
**FRIDERICVS AVGVSTVS,**  
REX POLONIARVM ATQVE ELECTOR SAXONIAE, & reliqua, DOMINVS MEVS LONGE CLEMENTISSIMVS munus extra ordinem in hac Academia ius docendi mihi clementissime demandauerit. Hanc indulgentissimam GRATIOSISSIMI PRINCIPIS gratiam uti humillima ueneror mente; ita publice promitto, me nihil eorum, quae ad prouinciam illam ornandam ullo modo pertineant, esse omissurum. Eo fine, quod DEVS immortalis bene atque feliciter euenire iubeat, constitui, publicas in *Historiam Romani Iuris Praelectiones* ad libellum, a me editum; hor. IV-V. instituere, earumque initium, finitis nundinis Lipsiensibus, facere. Inchoatas vero priuatas *Iuris Canonici* hor. IX-X. pariter ac *Pandectarum Praelectiones* hor. XI-XII. cui post nundinas Lipsenses horam II-III. adiungam, sedulo continuabo, nec non singulis Mercurii atque Sabbathi diebus exercitia, quae *disputandi*

*spurandi causa a me instituuntur, prosequar, nouas in  
GRIBNERI Principia Processus iudicarii Praelectio-  
nes hor. VIII-IX. additurus, nec ulli deero, qui meum  
in adiuuandis studiis sibi expetunt auxilium, nullam in-  
termittens occasionem, qua commodis Generosissimorum  
atque Nobilissimorum Dominorum Commilitonum pos-  
sim inuigilare. Scribebam Vitembergæ Calendis  
Octobris Anno reparatae Salutis  
cIɔ Iɔ CC XL.*



15100 XI



4078

ULB Halle  
006 666 019

3



